



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De Vita Thomæ Malleoli A Kempis, Francisco Tolensi Canonico Regvlari
Avthore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

VITA THOMAE A KEMPIS.

clamavit: & quo ipse clamabat fortius, eo vehementius teter spiritus fugiebat. Quod ubi cognouit religiosus vir, gratias agens Domino Deo, dixit apud se, Si hoc sanctissimo nomine tam facile possum aduersæ potestatis vires infringere, de cætero nolo, ut hæctenus feci, vel demonum machinamenta timere; vel sub eorum, quamuis horrendis minis, fide vacillante trepidare.



DE VITA

THOMÆ

MALLEOLI

A KEMPIS,

FRANCISCO TOLENSI

CANONICO REGVLARI AVTHORE.

Loquitur
de Imitatione
Christi.



In monte
S. Agnetis
prope
Svvolam.

PER AE precium facturum me existimaui, si illa, quæ de huius libelli parente, viro pietate & morum puritate maximo, partim ex præscorum monumentis, partim ex relictis & definita habeo, ad cunctorum notionem proferam. Dandum hoc pietati, quæ ab omnibus maximi fit, versaturque in manibus piæ eruditorum plurimis: tum etiam huius domus (cui etiam is vita incolumi præfuit) charitati, quæ illi & popularem me & fratrem effecit. Neque enim mihi fore integrum putabam, sine scelere & conscientia labe silentio suppressa præterire, vel quæ ad nominis eius sanæ perillustis, & laudatissimorum scriptorum: vel ad huius decantatæ quondam domus ampliorem commendationem factura videbam. Spes etiam est nonnullos exstimulandos ijs ad pietatem, rerumque mundanarum contempionem.

2. Natus est vir integerrimus Thomas noster à Kempis (quod esse Menapiorum ignobile oppidulum dicitur) parentibus obsecuris quidem si mundi fastum geniumque cum deprauatis spectes opinionibus: sed honestis, & pietate vitæque probitate apud Deum

VITA THOMAE A KEMPIS.

Deum haud dubiè magnis: ipse sua virtute maior & illustrior longè futurus. Natus est autem anno virginæ partus trecentesimo octogesimo post millesimum: Romani Imperii gubernacula moderante Wenceslao Casare, qui Carolo laudato patri iners & illaudatus successit filius. Quòd modicos sit sortitus parentes, minoris haud debet haberi. Neque enim ille aut nobilis aut magnus protinus censetur, vt fuerit claro loco parentibus ortus.

*Nam genus, & proavos, & qua non fecimus ipsi,
Vix ea nostra puto; ait ille:*

Et Seneca teste, auctore cum primis graui: A magnis ortum esse haud magni ducendum: scilicet magnum esse, reuera magnum & arduum censerit.

*Tota licet veteres exornent undique sera
Atria, nobilitas sola est atque unica virtus.*

Hac quisquis emergit, acceptumque sanguinis & familiæ decus clariùs illustrat: aut etiam splendore vitæ perstringit & obscurat, ille suo clarus merito & nobilis habendus. Pulchrè à quodam dictum:

Ipsa quidem virtus sibi met pulcherrima merces.

3. Puer, vt primùm per etatem licuit, Dauentriã (quæ est Transsiluanæ regionis metropolis, vbi tum aliquanto hac tempestate vberius florebat optimarum artium studia) missus est, colendi elimandique ingenij ergò. Quantos ibi pauculis annis fecerit in studijs progressus, argumento sunt tot ab ipso conscripta religionis vndique satis laudata volumina. Stylus licèt simplex minimè bracteatus sit, tamen dilucidus & apertus est: vt nusquam rerum verborumque inopia hæreat, nusquam molestè perplexeque loquatur. Quæ animo parturiebat, sentiebat, probabat, sermonis pauperie haud vsquam coactus fuit suppressere, scilicet liquidè clareque sua exprimit omnia sensa.

4. Dauentriæ agens, dum totus in hoc incumbit, vt parentum adeò non eludat, scilicet certiore fruge vincat expectationem, bonæ indolis magnæque spei adolescens: paulatim irrepit in illustrium pietate & probitate virorum familiaritatem: qui eo tempore ob religionem, vitæ innocentiam, ac morum sinceritatem, ab omnibus suspiciebantur, ferebantur in cælum concordiam omnium voce amplissima dignitate dignissimi. Hi inter alios erant, D. Gerardus, ob præclaras animi dotes dictus Magnus, aliquot canobiorum constructor, collapsæque religionis & disciplinæ restaurator. Hoc præceptore dignus, aut etiam maior discipulus D. Florentius, id temporis Dauentræensis Ecclesiæ Vicarius: qui sua pietate & industria, huic nostræ Montanæ domui fa-

Ovidius l.
13. Metamorph.

Iuuenalis.
Satyra 8.

ris

VITA THOMAE A KEMPIS.

is laudis & gloria, sibi verò memoriam peperere sempiternam. Ut duo perillustria luminaria, illi ea tempestate diu noctuque lucebant, populumque ad vitę respicientiam seriò adhortabantur. Vterque rara eruditione & facundia, in habendis è sublimi templi loco concionibus exercitissimus: quorum vitam Thomas, post duobus voluminibus prosequutus, æternitati consecrauit: hoc illorum pijs manibus, & in se haud fictæ benevolentie tribuens. Horum lectio magnos aculeos ac stimulos lectorum mentibus creat: vt longè ad religionem & colendam pietatem accedant inflammatiores.

5. His ille Heroibus sedulò adhæsit, vitam, mores, colloquutiones, acta imbibens, cordi insculpsit: & ad normam vitæ rectè instituendæ transferens, postea in opera conuertit. Horum curâ & opibus subleuatus, commodiùs in artium bonarum studijs perstitit: hoc nocte dieque conatus, vt Ægypti velut exoticis diuitijs collocupletatus, illas magna fruge postea in diuini templi ornatum conuerteret, hoc pacto dum literis addiscendis summam nauat industriam, duos illos Mœcenates suscipere cessat numquam: scilicet exempla vitæ quàm proximè tum æmulari, monitis salutaribus acquiescere, auctoritati parère, obsequi iussis studebat, verbaque satagebat in exemplum trahere. Iam tum vilescere illi vniuersitas hæc rerum caducarum, opes, delitiæ, voluptates, illecebræ, seculi ludibria cœpere. Nihil ille pendere omnia illa, quæ miseri mortales tantopere demirantur, exosculantur, amplexantur; & pro his adipiscendis, tanto studio, tot laboribus, vitæ discriminibus, terra marique inuigilant. Nullo ille iam delectari impensius, nisi vno fonte omnium bonorum Deo.

6. Hæc ille comoda ex virorum illorum quotidiano congressu & familiaritate metebat. Vt vel hinc liqueat, quantum conferat ad vitam bene beateque agendam conuersatio virorum, Quàm sit fructuosum inuenili ætati, præstantium virtute hominum semper adherere lateri. Qualia ad pietatem subsidia adsciscamus, dum cum integris & pijs assiduè viuimus. Sic enim Sapiens: *Cum viro sancto assiduus esto, quemcumque cognoueris obseruantem timore Dei.* Corruptunt enim bonos mores colloquutiones malæ: cum fieri nequit, vt qui tangit picem, non inquinetur illa. Hinc aptè Ambrosius Tullium imitatus: Plurimum prodest vnicuique bonis adiungi. Adolescentibus etiam vtile, vt claros & sapientes viros sequantur. Quoniam qui congregitur sapientibus, sapiens est: qui autem cohæret imprudentibus, imprudens agnoscitur. Ad institutionem itaque bonis iungi plurimum profuit, & ad probitatis testimonium. Ostendunt enim adolescen-

Tomo 3.
habentur.

Ecli. 37.
I. Cor. 15.

Ecli. 12.
Amb li. 2.
offic. c. 20.

VITA THOMÆ A KEMPIS.

tēs eorum se imitatores esse, quibus adhæserint. Et ea conualescē
plerumque opinio, quod ab his acceperint viuendi similitudinem;
cum quibus hauserint conuersandi cupiditatem. Inde tantus I E-
S V S Naue, quod eum non solum erudiuit ad scientiam legis
Moysis copula, verum etiam sanctificauit ad gratiam. Vnde fa-
ctum etiam, vt qui fuerat socius conuersationis, fieret successor
potestatis.

7. Hac ratione, dum probè institutum, probiùs etiam & in-
tegrius decurrit vitam, factum est, vt D. Florentij (qui nostrum
Thomam filij loco habebat, iuuenisque animum & desiderium
ad cęlestia flagrantissimum perspectum tenebat) opera & atte-
statione, accuratissimè & amicissimè commendaretur eius ger-
mano Fratri, qui tum temporis præerat monasterio recentius
condito, cui nomen Mons diuæ Agnetis, quod habebat D. Au-
gustini ordinis Canonicos, quos vocant Regulares. Est autem
hoc non procul à Suuolla nobili nunc ciuitate situm: sed aliquan-
to vt editiore sic longè saluberrimo & amœnissimo loco, quam
ipsa ciuitas. Exstructum est autem in dorso non ignobilis fluuij
Vecheze, qui maximam delicatissimorum piscium copiam singu-
lis penè diebus suppeditat Montanæ domus ciuibus: non hac
dumtaxat commoditate opportunius illis perquam utilis. Do-
mus ea tempestate obscura, paucissimis nota, raro colebatur ci-
tate ferè, vt sunt rerum omnium exordia humilia. Non refugit
tantj viri vel autoritatem vel consilium sequi iuuenis Thomas:
qui vbi in montem diuæ Agneti sacrum venit, susceptus est, vel
in gratiam D. Florentij obuiis (quod dicitur) vlnis, habitusque
humanissimè. Vt vidit, beneque perspexit, extemplo probauit lo-
cum velut à præpotente Deo paratum: in quem tutissimum &
tranquillissimum portum vita & fortunę, omnia præsidia & or-
namenta conferret. Ingressus tum erat annum vigesimum.

8. Non tamen, quod plerique solent, è vestigio præcipitauit
se in hoc vitæ genus, ignarus quid ferre velint nolintque lacerti.
Est enim examussim considerandum, diuque perpendendum, de
quo semel tantum est statuendum. Quinque igitur annos tyro
& Religionis candidatus exegit, sexto sacrum habitum induit,
sequenti professionem fecit, sacroque voto emisso, se illi vitæ
generi addictum obstrinxit. In quo magna cum laude & gloria,
suæque domus immenso commodo, perstitit annos sexaginta-
quinque, donec Deo euocante illum è corporis testaceo hospitio,
spiritum cælo reddidit, nominis relicta in terris memoria: anno
ætatis suæ nonagesimo secundo, partē verò per Christum salutis
millesimo quadringentesimo septuagesimo primo, octauo Calen-
das Augusti.

VITA THOMAE A KEMPIS.

9. Calamo autem persequi velle exactè, & ad posteritatem transmittere omnem vitam cursum, qua in Deum pietate, in fratres flagrauerit charitate & beneuolentia: qua animi submissione & sedulitate suis seruiert: quibus operis concessum vitæ tempus decurrerit, ad eò non esset nostrarum virium, vt fuerit potius hominis otio suo intemperanter abutentis. Si vox in fragilis, pectus mihi firmiter esset, pluraque cum linguis pluribus ora forent: non tamen idcirco complecterer omnia verbis, materia vires exuperante meas. Consultius puto prudenti illa præterire silentio, & hanc spartam alij colendam tradere: quam imbecillitate virium & ingenij pauperie, res per se laudatissimas deterere & obscurare. Quid, quòd nulli, qui cum Thomæ ætatem agitauerunt, curæ fuit, eius vitam præclaram sanè & diuinam memoria prodere: vt hac ratione habere possimus, quæ proferamus certa? Nam è medio laudum materiam sumere, vel à Rhetoribus mutuari, non est nobis visum necessum. Hoc certi & explorati habemus, semel illum Oeconomiam administrasse ætate adhuc florentè, bis Supriorem egisse. Nec hoc nobis dubium, statura illum corporis fuisse infra mediocritatem, forma verò conuenienti, colore in vultu viuido, sed fusco, acie oculorum perspicacissima, vt nunquam vel capulo proximus sit vsus conspicillo. Otio, vt rei pestilentissimæ omniumque malorum fonti, nunquam indulgit. Temporis illum summam habuisse rationem, vt rei preciosissimæ rei que irrecuperabilis, tot ab illo elaborata partim, partim in communem vsum sua manu conscripta volumina arguunt. Multum enim scriptione pollebat. Superfunt adhuc vniuersa Biblia, in quatuor tomos dispersita: præterea ingens liber: quo Sacerdotes in sacris vtimur; tum aliquot Diui Bernardi opuscula, præcellenti arte & magna industria à Thomæ conscripta.

10. Caterum, quia nonnulli Gersonico nomini nimium additi, quatuor de Imitando Christo libros Ioanni Gersoni vindicare conati sunt, summam nostro Thomæ iniuriam facientes. Superfunt etiam nunc hi ipsi libri auctoris manu scripti, qui satis arguunt à Gersone nunquam lectos, multo minus profectos. Erat autem illi familiare, concubia nocte à matutinis laudibus componere & libros scribere, se geniumque defraudans, læsa etiam corporis valetudine, quo de omnibus pietatem colentibus optimè mereretur. Eius sermo omnis de Deo & sacra Scriptura. Rogatus ex tempore in quorundam commodum, nunquam abnuo declamitare. Quod tamen non fecit, nisi aliquo ad meditandum capto tempore, aut degustato paululum somno. Complures sæpenumero ex vrbibus locisque remotiori-

VITA THOMAE A KEMPIS.

motioribus, quos fama exciuerat, eius audiendi cupidi huc confluxere.

II. In oratorio & Ecclesiasticis muneribus dictu difficile, quam diuinè præsentique omnia animo obierit. Dum psalleret, vultu semper in cælum sublato, sacro entusiasmo afflatus, dulcedine nimirum psalmodum incredibili captus & extra se raptus, aduertebatur: Sic vt nunquam calcibus non terræ hæreret infixus, scilicet summis dumtaxat pedum digitis solum contingens, reliquo corpore in cælum subuolare, vbi animo & desiderio agebat, meditarctur. In psallendo, erecto corpore consistebat perpetuò; nunquam sedili, vel brachio, vel tergo innitens. Ingredientium oratorium nocte dieque primus, egredientium semper postremus. Diuinus cultus & Ecclesiasticum decus incredibiliter cordi & studio illi erat. Ad eò vt semel cuidam dicenti, videri sibi felicem Thomam, nec admiratione dignum magnopere, tanta vocis alacritate, animi promptitudine & pietate, quòd Psalmos decantaret: vt cui psalmi Dauidici salmones (genus est piscium delicatissimum) saperent, incunstanter responderet, ita est, (vt ais) Deo gratiæ, Psalmi mihi salmones: qui tamen non raro in nauseam & mortem, quoties ignauos rei præsentis non intentos, & voci parentes conspicio, conuertuntur. Hoc in illo demirabantur, quòd præter diuina, fluxa omnia velut ad se nihil pertinentia adeò despiceret, vt illorum appellationes vsumque addiscere grauaretur. In corona grauium virorum, si ipso præsentis forensia aut mundana agitarentur, velut mutus ac elinguis sedebat: nec respondebat, ne rogatus quidem, nisi insigni alicuius rei commoditate illectus, quasi ignarus rerum, de quibus commentabantur, omnium. Porro si de Deo rebusque cœlestibus haberetur sermo, mox postulatus sententiam, velut limpidissimus fons, perpetuis verborum ritulis scaturiens loquebatur, aut potius profuebat.

Id est, in-
spiratione
diuina.

12. Habebat pro more certis in septimana diebus se flagro affigere, cantillando Hymnum illum: Stetit IESVS. Ostenditur adiuic ejus effigies, sed admodum deformata pæneque oblitterata, cum hoc insigni symbolo, IN OMNIBVS REQUIEM QVAESIVI, SED NON INVENI, NISI IN HOEXKINS ENDE BOEXKINS. Hoc est, in abditis recessibus & libellulis, Et hæc ferè sunt, quæ veterum scriptis eruta, explorata & certa de Thoma habemus. Testantur illi, qui hæc paucula chartis mandarunt, eius tolerantiam in rebus aduersis lætè ferendis, patientiam in hominum vitijs non solum æqualiter tolerandis, sed & benignè

benignè

VITA THOMAE A KEMPIS:

benignè excusandis. In omni vita sobrietatem, pudicitiam, verè-
cundiam, studium, & sedulitatem: in prouehendis fratrum &
communis domus commodis: in diuinis rebus & procurandis illis,
quæ honestati & decoro templi non nihil ornatus & splendo-
ris adiungerent: assiduitatem in precibus, flagrantiam & fre-
quentem lachrymarum profusionem, calamo persequi velle, tam
esse arduum, quàm est, quod comprehendere numero non potest,
numerare velle.

13. Quæ cum ita se habeant, quales nobis viri huius vita ad
pietatem aculeos creare, & ad imitationem hortamenta afferre
debeat meritò, quis non aduertit. Quapropter in hanc curam in-
cumbendum gnauiter, vt his vestigijs insistentes, illum proximè
emulari contendamus: verba, actiones, mores, virtutes, in exem-
plum assumamus. Carne prius brutisque affectibus maceratione
corporis edomitæ, & spiritui subiectis, ad caelestia toti anhele-
mus. Illic & vota & desideria figamus, quæ æterna sunt quæren-
tes, sapiamus. Aliàs, si nec Dei verbo nec piorum hominum di-
ctis & factis commouemur ad respicientiam, inflammamur ad
imitationem; haud dubiè in extremo die remissius erit Sodomæ
& Gomorrhæ populo, Tyrijs & Sidonijs, quàm nobis. Si apud
illos patrata fuissent virtutes: si ipsis nota & credita fuissent, quæ
sunt nobis persuasissima, olim in cinere & cilicio pœnitentiam
egissent. Pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordia-
rum, & Deus omnis consolationis, inspiret nobis se & nostra
professione dignam mentem, vt quod reliquum erit temporis,
ad suum honorem ampliandum, & nostram ipsorum salutem
prouehendam absumamus: quò tandem eius gratia & pietate
subuehamur in cælum: illic perpetuò laudes & hymnos, cum re-
liquis omnibus cœlitibus, illi dicturi.

R. Bais . 7. anij 3i. Febr. adx. F I N I S.

Istud postremum breuiter ipse Thomas attingit tacito nomi-
ne, parte 3. sermorum ad Nouit. sermone secundo, exemplo pe-
nultimo.

*Author, qui distinctionem decimam Speculi exemplorum compo-
suit, (tacito ex humilitate nomine) de iis qua huius distinctioni inse-
ruit, hunc in modum in principio præfatus est: Incipit decima & vlti-
ma distinctio Speculi exemplorum, in qua habentur exempla, qua aut
verissima relatione didici, aut libris Teutonice scripta inueni, vel ipsa
facta cognoui.*

VENE